



alcalino-martialium virtutes generatim attinet, re-  
ctissime clarissimus GIESCHE c) ab earum vsu par-  
tim tonicam, elasticitati et irritabilitati fibrillarum  
confirmandae idoneam, partim resoluentem, aci-  
dae saburrae aduersam, et antisepticam expectari  
iussit efficacitatem. Ex quibus omnibus, quibus-  
nam morbis profuturae sint hae aquae, medicorum  
quilibet facile adsequi poterit coniectura. Propius  
ergo nunc his praemonitis, ad nostrum nos conuer-  
timus propositum, fontium quippe salubrium *Hirsch-  
feldensium* et *Hertwigswaldensium*, in Saganensi di-  
tione scaturientium, historiam exposituri: quibus,  
velut appendicis loco, pauca quaedam, quoniam  
plura nescimus, de *Falckenbergensibus* Oppolienfis  
ditionis acidulis adiungemus.

## §. II.

### I. *Acidulae Hirschfeldenses.*

**A** Sagano, quae est primaria sui cognominis  
principatus vrbs, euronotum versus, ad sesquilapi-  
dem circiter, in principatus Glogauensis confiniis,  
fitus est pagus quidam, cui *Hirschfeldae* nomen est,  
et qui a riulo alluitur, tandem cum aliis sui generis  
oberrantibus in amniculum, quem accolae *Briesnitz*  
appellant, collecto; quocum demum ad Numbur-  
gum Silesiorum, ex aduerso Christianopolis littore, a

B

Bobero

c) In *dissertat. citat.* §. III.



Bobero absorbetur. Duo in hoc pago scaturiunt fontes: alter in territorio illustris domini *de SEIDEL*; alter vero in horto sacerdotis, qui ibidem sacris rebus praeest *d*). Quanto ceterum interuallo inter se distant, non accepi relatum: videntur autem eiusdem venae subterraneae riuli, quoniam, sicut deinde dicemus, eiusdem sunt indolis atque mixturae. Ambo nullo operculo sunt tecti, circumsepti vero lignea contignatione quadrata, septem pedum altitudinem aequante: ex qua per annexos canaliculos collecta emanat aqua, relictis illinc tenerrimis particulis ochraceis, colore et subtilitate croco martis haud dissimilibus *e*). Verum enim vero cum partim reliquae commodae vitae, qua tamen maxime egere solent aegrotantes, desint opportunitates; partim etiam nondum satis ex merito celebrata est harum acidularum memoria; partim denique frequentior ad vicinum indulgentiarum fontem hominum concursatio iam pridem desit *f*): factum quoque est exinde, ut nemo nunc sit, qui sitiatis bibatque has aquas *g*). Ne quis autem existimet, ob elementorum inertiam viriumque medicatarum inopiam fontes hos nostros meruisse, ut negligerentur, communicabimus vobiscum, lectores, ea examina chemica,

*d*) Secundum *relationes*, ad regios administratos missas.

*e*) *Ibidem*.

*f*) Confer. MARTINI FOERSTERI *dissertat. citat. §. III.*

*g*) Sicut referunt *relation. citatar. auctores*.



mica, quibus partim auctores *relationum publicarum*, ad regios administratos missarum, partim ipse optimus *praesès nosfer*, in naturam mixtionemque harum acidularum sollicitè inquisiuerunt. Exinde enim aperitissime constabit, quibusnam cum aliis sui generis acidulis nostrae proxime conueniant, et quaenam porro ab earundem vsu expectari possint virtutes atque efficacia valetudinis hominum adiumenta.

### §. III.

#### *Earundem elementa.*

Primo igitur loco exponam ea, quae iam *citati auctores* his super aquis ad regios administratos retulerunt. Quantum ego quidem coniectura adsequi possum, videntur quidem clarissimi hi viri vtrumque, quem diximus, fontem seorsim examinasse, coniunctim vero dein explorata binorum exposuisse elementa; quod nullum in his intercessisse discrimen deprehendebant. Haec autem referunt: Ambo fontes, scribentes, media aestate aquam continent admodum frigidam, temperatiorem vero, dum hiems saeuit, adeo, vt etiam ab acriori frigoris vi nunquam consistant. Saporis sunt viuidi (*piquant*), leuiterque adstringentis; qui solet esse martialium. Si leuitatis spectetur ratio, cum pluuiiali aut quacunque alia aqua stillatitia conueniunt. Insperfus his aquis  
B 2                      gallarum